

CASUS SIVE HISTORIA ÆGRI HYDROPE PECTORIS LABORANTIS.

VIr quadraginta quinque circiter annorum, Jurisconsultus Celebris, laboribus Practicis occupatus maxime, temperamenti sanguinei ad cholericum inclinantis, plethoricus, lautæ diætæ & imprimis vinosæ assuetus, obesulus, à pluribus annis sentiens incommoda respirationis minus facilis, Anno 1729. post graviores Diætæ excessus sentit sensim respirationem magis fieri difficilem, quæ paucis septimanis ita ingravescit, ut successerit Orthopnoea imprimis infestans nocturno tempore, ita ut non in lecto sed sella somnum capere debuerit, licet & sic satis difficilem, sæpe de nocte maxime anxius; Tussi laborat sicca, accedit œdema pedum, sensim sursum ascendens, dein abdomen tumere videtur plus solito; sentit aliquando quasi fluctuationis sensum, licet obscuriorem, circa diaphragma, tum & palpitationem cordis, tandem succedit tumor brachiorum, torporque fere paralytodes; sensum etiam doloris & pressionis in thorace adesse queritur; tandem accedit febricula, appetitus prostratus anxietasque sæpe summa.

Quærebatur à Medicis, quis esset morbus & quomodo tractandus; Medicus Ordinarius cum diu tanquam asthmaticum oleo amygd. d., spermate ceti, potiunculis mannatis aliisque lenioribus tractasset, ac interim morbus ingravesceret, alius Medicus media æstate consultus vel hydatides, vel colluviem serosam aliam in pectore adesse suspicatus est; cum vero & alteri consulto, aliquid de
asthmate

asthmate spasmodico subesse crederetur, sequentes pulve-
res præscripti sunt.

℞. Sperm. cet. ʒvj.
Nitr. depurat. ʒij. gr. xxiv.
Cinnabar. antimon. ʒij. gr. viij.
Mass. Pil. d. Cynogloss. gr. xij.
M. f. pulvis.

Dividendus in partes æquales No. xij.

Quorum Dosis sumsit qualibet vespera; inde quidem ali-
quid sensit levaminis, licet illud minus constans esset,
unde ad incidendum, attenuandum, & resolvendum hu-
mores serosos viscidosque sub finem Augusti mensis præ-
scriptæ sunt sequentes pilulæ & infusum:

℞. Gumm. ammoniaci dep. ʒiiijʒ.
Galbani.
Opopan. aa. ʒiijʒ.
Extr. marrub. ʒj.
Croc. ʒj.
Pulv. milleped. ʒiv.
Lumbr. terr. ʒj.

M. c. f. q. pulv. ari, f. pil. gr. iijʒ. pond. d. ad scatulam.
Harum bis de die circiter ʒj. sumsit His superbibit infu-
sum sequens.

℞. Rad. ari. ʒvj.
Ireos. Fl.
Pimp. alb. aa. ʒiij.
HB. Scabios. Miiijʒ.
Tussilag. heder. terr. aa. Miijʒ.
Fl. bellid. min.
Cichor. aa. Mj.

Incis. contus. d. ad. chart. horum Manipulus dimidius bis
de

de Die in Unciis sex vel octo aquæ ebulliebat leviter atque hoc infusum pilulis superbibit.

Cum interim œdema pedum augetur admodum ac difficilis respiratio & febricula, ac manifestiora sic apparerent signa Hydropis pectoris, nec ob debilitatem ac febrem purgantibus hydragogis locus esse videretur, ac urinarum succederet paucitas, consultum visum Medicis, diureticis rem aggredi, atque quidem sequenti modo:

℞. Cinerum. genistæ. ℥ss.
 Juniperi.
 Absynth. aa. ℥ij.
 Rad. vincetoxici. ℥i℥.
 Ari.
 Ononid. aa. ℥vj.
 Pimpin. alb. ℥ss.
 Baccar. juniperi ℥j.
 Sem. dauc. ℥ss.
 Fœnic.
 Carv. aa. ℥ij.

Incis. cont. d. ad chart.

Hiscæ speciebus affundebantur tres lib. Medicæ aquæ ferventis, ac post refrigerationem quatuor vel quinque lib. Mosellani vini, jussusque est superbibere pilulis antea præscriptis bis de die uncias tres vel quatuor hujus infusi; simul ad frictionem pedum œdematosorum quotidianam præscriptum est sequens suffimigium:

℞. Benzoin.
 Oliban.
 Styrac.
 Succin.
 Myrrhæ.
 Fl. lavend. aa. ℥i℥.

B

M. f.

M. f. p. grossi dandus ad scar. cujus accensi fumo excipiebantur panni pro frictione. Hæc methodus per tres septimanas continuata fuit. Sed tamen primum parum attulit levaminis, nec urinam prolicuit copiosorem; Medici tamen, eidem indicationi diureseos promovendæ insistendum rati, repetierunt infusum, addendo ipsi fibrarum rad. helleb. n. ʒʒ. & maceris ʒʒ., quo infuso, cum pilulis continuato, tandem sub quartæ septimanæ medium, cepit urina de nocte copiosissime fluere ad plures libras, imo mensuras, ita ut una nocte plus quam decies copiose mingeret; fluxit sic per octiduum copiosissima urina, simulque alvus laxior fuit, tanto cum successu, ut non solum tumor abdominis incipiens, sed & maximam partem oedema pedum cederet, nisi quod circa malleolos aliquamdiu continuaret tumor; respirationis etiam difficultas maxime imminuta est, adeo ut de nocte dormiverit, libereque incedere jam potuerit, feliciter sic ex corpore toto ac imprimis pectore, ut videretur, per attenuantia & diuretica proturbatis fere omnibus aquis, cum symptomatum fere omnium diminutione. Consultum visum sub finem Septembris præscribere vinum attenuans simul & roborans, cum Ess. Diuretica & Tonica, quorum sequens fuit præscriptio:

℞. Rad. oxylapathi ʒvj.

Zedoariæ ʒʒ.

Ari.

Galangæ. min. aa. ʒiij.

HB. Scolopendr.

Agrimon.

Capill. ven. aa. Mj.

Summ. centaur. min. Mʒ.

Cort. Winteran.

Costi amar.

Flav.

Flav. cort. aurant.
 Rhabarb. el. aa. ℥β.
 Sem. fœnic. ℥ij.
 Maceris ℥ij.
 Tartari solub. ℥iv.

Incis. contus. d. ad chart.

His speciebus libræ quatuor vini Mosellani affundebantur, & post extractionem bis de die uncia tres vel quatuor bibebantur cum Tinctura sequenti:

℞. Tinct. falis tartar. ℥β.

Ess. succin. ℥ij.

M. d. ad vitr. De hac Essentia bis de die sumsit 40. guttas cum vino medicato, atque paulo post tumore pedum fere omni evanescente, ac respiratione libera restituta, convaluit æger, à Medico Ordinario, ac ab omnibus fere aliis pro deplorato habitus, cum Hydropem pectoris, qualis revera adfuisse videtur, plerique immedicabilem crederent; Sed robore naturæ, debitis medicamentis, jam recensitis, ac diætâ accurata observata evasit Vir optimus, exivit ædibus, munia sua obiit, dormivit bene, appetitu bono gavisus est, sanitatique sic fere restitutus, cui, ne malum recrudesceret, quod in omni Hydrope alias facile fieri solet, injuncta accuratior Diætâ impofterum, imprimisque cautum, ne ad vinosam rediret Diætâ, seu potius excessum, ac ne aëris autumnalis ac hyberni injuriis se exponeret; præscriptæ etiam pilulæ à cachexia & hydrope præservantes, Beccherianarum fere in modum, sequentes:

℞. Extr. absynth.

Centaur. min.

Card. bened.

Gentian.

B 2

Aloes.

Aloes. rofat. aa. ℥j.

Myrrhæ.

Gum. juniperi aa. ℥β.

Extr. Rhabarb. ℥ij.

Olei. cinamom.

Macer. aa. gt. ij.

Cum elix. p. p. f. q. f. pil. gr. iij.

pond. d. ad scatulam.

Harum pilularum visceralium vel summo mane, vel circa vesperam, prout libuit, alternis diebus No. 7. sumfit. Observatis sic omnibus valuit per dimidium fere annum; Sed proh dolor! cum omnia tuta crederet ac aliquoties rursus in vini potu excederet, simulque sub æquinoctium vernale sequentis anni duo itinera aliquot miliarium in rheda aperta aëre procelloso & frigido in fine Martii Mensis instituisset, ac cum amicis bene potasset, recruduit morbus Aprili Mense 1730., qui cum lenibus manatis & temperantibus rursus ab Ordinario datis augeretur, & alter Medicus in consilium vocatus est; Medici morbo vehementer urgente ac ægro debili consultum judicarunt per lenia depurantia & diuretica rem aggredi; præscripserunt igitur sequens.

℞. Succi recent. cheresolii express. ℥vj.

Cichorei.

Bellidis aa. ℥v.

Per subsidentiam depurata dentur.

Horum succorum quotidie bis uncias duas sumfit, cum expressione millepedum, accipiendo quotidie cum unciis 4. succi herbarum, No. 30. succo expresso quotidie 5. millepedes addendo, ac numerum earum augendo ad 50.; Sic per octiduum ascendendo, & per alterum octiduum descendendo.

Cum

Cum vero ex horum usu neque urina copiosius flueret, neque respiratio fieret liberior, neque tumor pedum minueretur, sed potius ad abdomen ascenderet, aliquot post diebus, urgente tumore & respiratione difficili, ad ea fere rursus usurpanda, quæ priore anno profuere, datum est Consilium, unde sequens infusum, fere ut antea, præscriptum est.

℞. Cinerum genistæ ꝑij.
 Juniperi.
 Absynth. aa. ꝑj.
 Rad. hirundinar. ꝓvj.
 Ari.
 Ononid. aa. ꝑiij.
 Pimpin. alb.
 Zedoar.
 Aristoloch. rot. aa. ꝑij.
 Maceris ꝑj.
 Baccar. juniperi ꝑß.
 Sem. dauc. sylv. ꝑij.
 Fœnic.
 Anisi aa. ꝑj.

Incis. contuf. f. species vini & aquæ æqualibus portionibus infundendæ.

Ob summam spirandi difficultatem potio resolvens 4. dierum spatio assumenda præscripta est sequens.

℞. Aq. hyssop.
 Petrosel. aa. ꝑiij.
 Oxymell. squill. ꝑiij.
 Gum. ammoniac. ꝑiij.
 Milleped. ꝑj.
 Salis vol. succin.
 Stipit. fabar.

Genist. aa. ʒʒ.

Tinct. benzoes ʒj.

Syr. ʒ. rad. aperient. ʒj.

M. f. a. & d. ad vitr. Inde respiratio quidem paululum liberior facta, & urina copiosius fluxit, sed non continuavit in melius mutatio, obstructis nimium viis, aqua in pectus copiosius defluente, imo & ascite tandem accedente, unde parum spei cum Medici superesse viderent, in ultimo consilio de generosissimis & efficacissimis adhuc adhibendis deliberarunt remediis; Primus & Ordinarius rem conclamatam asserens potiunculis suis mannatis ulterius progredi volebat; Alius proponebat in difficillimo casu atque statu ambiguo purgantia hydragoga sibi sæpius probata, atque quidem pilulas sequentes:

℞. Extr. panchym. Croll.

Gum. gutt. aa. ʒʒ.

Olei cinamom. gt. j.

M. f. pil. pro una dosi, quovis triduo repetendæ, si vires ferant; Tertius vocatus Medicus, sententiam rogatus, iudicavit in ancipiti casu, morboque fere deplorato, potiones sennatas & mannatas nihil profuturas, sed pilulas hydragogas ægro dandas esse, non tanquam certo, sed forte, profuturas, cum attenuantia & diuretica, quæ antea juverant, jam nihil efficerent, ac in morbo gravi & ambiguo melius sit & prudentius, anceps tentare remedium, quam nullum, imprimis cum vires ægri tale remedium adhuc tolerare posse viderentur; quibus aliisque rationibus motus permisit usum hydragogi hujus Medicus Ordinarius, tamen non sine quadam tergiversatione; Pharmacopœus vero & hujus & ægri amicus dein suspecta reddidit hæc consilia, persuadens ægro, ipsum esse incurabilem, atque extrema & validissima frustra tentari à Medicis, unde hujus

... rel improden
... secus, & h
... mit, sicque quod
... habito Consilio leg
... scate, qui forte
... certe aliquand

R
CAP
MORB
DIAGN
P

M Orb
Hyd
sive co
cavitat
que Altes Hydro
Partes affectæ
quo ad superfic
reliquaque vasa se
nam possent dici p
hujus dyscrasia ler
ma diagnosti
suerunt manifesta.
Men vero disti
ctum inq̄is & c

hujus vel imprudentis, vel malevoli, myropolæ confilium secutus, & hujus & aliorum remediorum usum respuit, sicque quotidie aucto morbo, post tertiam fere ab habito Consilio septimanam interiit ex morbo ingravescente, qui forte dictis remediis vel salvari potuisset, vel certe aliquamdiu conservari in vitâ sic valuisset.

RESOLUTIO.
CAPUT PRIMUM

De

MORBI HUIUS SIGNIS
DIAGNOSTICIS ET SYM-
PTOMATIBUS.

MOrbus, ex quo noster Æger laboravit, fuit Hydrops Pectoris, ortus à colluvie serosa, sive collectione seri præternaturali in thoracis cavitate. Accessit tandem oedema pedum atque Ascites Hydrops, antequam Scena clauderetur.

Partes affectæ sunt cavitas thoracis ipsique pulmones quo ad superficiem suam & vasa lymphatica ambientia, reliquaque vasa serosa & lymphatica pectoris; eminus etiam possent dici partes affectæ reliqua viscera, imo ipse sanguis dyscrasia serosa laborans.

Signa diagnostica jam sequuntur, quæ in hoc ægro fuerunt manifesta.

Merito vero distinguunt Medici in signa hydropis pectoris incipientis & confirmati, cum incipiens multa signa habeat